

F. L V Y S I I L E-  
G I O N E N S I S A V G V S T I-  
N I A N I D I V I N O R V M L I-  
B R O R V M P R I M I A P V D S A L-  
M A N T I C E N S E S  
I N T E R P R E T I S.  
I N P S A L M V M V I G E S I M V M  
S E X T V M E X P L A N A T I O.



S A L M A N T I C Æ,  
Excudebat Lucas à Iunta. M. D. LXXX.  
C V M P R I V I L E G I O.

ILLVSTRISSIMO

D. D. GASPARI QUIROGA,

S. R. E. CARDINALI, ARCHIE

piscopo Toletano, rerum fidei supre-

mo iudici. F. Luyfius Legionensis

Augustinianus.

S. P. D.



ES aduersas, Quiroga Car

dinalis amplissime, vulgo

homines in malis ponunt,

Stoici in fugiendis numera

bant, rectè autem instituta

ratio, disciplinaque Chri-

stiana in bonis ducit. Non

quòd acerba, & amara, amara & acerba non

sint: sed quod ægris amara quæ sunt, sæpè sint

salutaria. ægrotamus autem omnes: labora-

musque alij alijs animorum morbis. Atque hæc

quidem ratio, apud eos, qui seratione duci per-

mittunt, satis efficit, fortunæ iniurias in malis

non esse numerandas. sed est alia quædam quæ

Christi cultores propriè moueat, quod ex his re-

bus, non solùm, vt cæteri, utilitatem capiant, sed

etiam quam cæteris molestiam & acerbiteriam

§ 2 istæ

I N P S A L M V M  
VIGESIMVM SEXTVM  
EXPLANATIO.



QVAMQVAM hic Psalmus apud Hebræos *antrivexor* est, id est, sine historiae argumento, tamen, quod è Græca inscriptione colligitur, videtur scriptus à Davide esse, quo tempore Saulem fugiebat, atque ea occasione potissimum, quod ad ipsum Ceilæ commorantem confugisset Abiatharus sacerdos, eiusdem Saulis & ipse iram, & crudelitatem declinans. Nam cum Dogeus quidam genere Idumæus Saulis Regis libertus, ad ipsum Regem detulisset Nobe in ædibus summi Sacerdotis Achimelechi, Davidem versatum, ab eodẽ fuisse adiutum, & consilio, & armis, & cõmeatu: ira exarsisse Saul scribitur: & vt sunt Regum in ira præcipitia cõsilia, Achimelechum ipsum ad se accersitum, & cum eo magnum sacerdotum numerũ ferro interemisse, & urbem Nobem, ad quam, ne suspicio quidem criminis pertinebat excindi mandasse etiam traditur. Hac igitur ex cæde, & urbis ruina tanta, vnus cũ euasisset Abiatharus, Achimelechi summi Sacerdotis filius, & ipse Sacerdos summus ad Davidem se contulit, secum deferens Ephod. Id autem

A fuit